

DISSERTATIO JURIDICA
DE
**DUOBUS CIRCA
IDEM FACTUM CON-
CURRENTIBUS,**

QVAM

DEO ter O. M. adnuente,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D N. C A R O L O,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBUR-
GICO, ET RELIQUA,

In Illustri Academia Fridericiana,

PRÆSIDE

**JACOB O F R I D E R I C O
LUDOVICI,**

J. U. D. & PROF. PUBL. ORDINAR.

Ad diem Octobr. MDCCXIV

Placido Eruditorum examini submittit

J O H A N N E S M iß,
Stargardia Pomeranus.

Diss. jur. civ. ^{HALÆ MAGDEBURGICÆ,} UD CHRISTIANUM HENCKELIUM, 1736.

101,10



DISSERTATIO JURIDICA,
DE
DVOBVSCIRCA IDEM
FACTVM CONCVRRENTIBVS.

CONTENTA TOTIVS DISSERTATIONIS.

Explanatio rubricæ & ratio, quare duorum saltem mentio
fiat, §. I. facti descriptio & diuisio, §. II. an quoque non-
factum hoc pertineat? §. III. concursus rerum, actionum
& personarum. De concursu personarum in specie, §. IV.
de pluribus tutoribus circa eandem tutelam concurrentibus. Pri-
mus casus, si testator in testamento suo adscripsit, quisnam ex il-
lis tutelam adiuggerere debeat, §. V. secundus casus, quando tu-
tores concurrentes ipsis unum eligunt, §. VI. tertius casus, quan-
do ex concurrentibus prætor uni administrationem demandat, §.
VII. quartus casus, quando tutores concurrentes negotium tute-
læ inter se diuiserunt, §. VIII. quintus, si tutela a testatore, vel
judice diuisa, §. IX. sextus, si omnes conjunctim administrant,
§. X. septimus casus, quando ex pluribus concurrentibus unus sa-
tisfactionem offert & sic solus administrationem suscipit, §. XI. de
duobus negotiorum gestoribus concurrentibus & culpa a gerente
præstanta, §. XII. negotiorum gestor ad omnia absentis negotia ex-
pedienda non tenetur, nisi aliis concurrat, omnia expediturus,
§. XIII. de duobus prototoribus concurrentibus, §. XIV. de plu-
ribus procuratoribus circa idem factum concurrentibus. An sin-

A 2

gu-

guli negotium commissum in solidum expediant? §. XV. de concursu duorum coheredum circa eandem rem habendam, §. XVI. nec non duorum emtorum intuitu rei emtæ consequendæ. Jus ciuile hic a jure naturæ recedit, §. XVII. transitus ad materiam de jure protimiseos, §. XIX. primus casus, quando duo concurrunt, quorum unus rem venditam ex conuentione, alter vero eandem ex legis dispositione retrahere vult, §. XIX. vel, si unus ex testamentaria dispositione, alter vero ex lege jus retractus prætendit, §. XX. quid de eo casu sentiendum, si reemtor & retrouendentis cognatus concurrat? §. XXI. secundus casus, si concurrunt dominus directus in emphyteusi & cognati emphyteutæ alienantis, §. XXII. tertius casus, quando dominus directus cum vicino emphyteutæ alienantis concurrit, §. XXIII. quartus casus de concursu domini directi cum emphyteutæ socio. Respondetur distinguendo, §. XXIV. Transito ad bona non emphyteutica. Quintus casus de concursu cognati cum socio, §. XXV. sextus casus, de concursu socii cum vicino, §. XXVI. Casus septimus, quando circa rem eandem retrahendam plures consanguinei venditoris iique æque proximi concurrunt. Casus adfinis, quando jure Lubecensi, Hamburgensi & Luneburgensi plures heredes æque proximi concurrunt & bona a cognato de facto alienata vindicare volunt, §. XXVII. Quando unus ex concurrentibus æque proximis cognatis simul alienantis vicinus est intuitu rei alienatæ, tunc ille reliquis præferatur, modo jus retractus ex capite vicinitatis receptum fuerit, §. XXIX. octauus casus de concursu cognati alienantis cum ipsius vicino, §. XXIX. Nonus casus, quando duo vicini alienantis in exercitio juris retractus concurrunt, §. XXX inseritur sententia Facultatis juridicæ Halensis hanc materiam illustrans, una cum rationibus decidendi, §. XXXI. Decimus casus, si vicini tales sunt ex inæqualibus partibus, v. g. unus ex tribus partibus, alter vero ex una parte solum, &c. §. XXXII. undecimus casus ex Matthæo ab Afflicti, de concurrente vicino propinquiore cum remotiore §. XXXIII. duodecimus casus ex eodem autore, si v. g. vicinus ex latere dextro ædes vicini emit, vicinus autem ædium emtarum ex latere sinistro eas retrahere vult, §. XXXIV. decimus tertius

ca-

casus, si res aliqua sub hastavenditur & in licitatione creditores cum extraneis, cognati debitoris cum extraneo, aut plures creditores inter se concurrunt, §. XXXV. casus decimus quartus de duobus sociis concurrentibus, §. XXXVI. decimus quintus casus, quando duo jus protimiseos sibi stipulati sunt, verum diuerso tempore. Quid si illud jus eodem tempore adquisuerint? §. XXXVII. decimus sextus casus, quando duo consanguinei & que proximi concurrunt, unus vero ex illis præter jus sanguinis etiam speciali pacto sibi prospexit, §. XXXIX. transitus ad alias materias, §. XXXIX. de casu ex jure feudali, si duobus expectatiua conceditur intuitu ejusdem feudi, §. XL. quid, si feudum a tertio possideatur & in ejus vindicatione dominus directus cum domino utili concurrat? §. XLI. de concursu plurium, qui cum eadem virgine sponsalia celebrarunt & nunc consummationem matrimonii urgent, §. XLII. quid si v. g. ad clandestina sponsalia concubitus accesserit? ille nullum jus tribuit, §. XLIII. dissentit Carpzouius, cui respondet, §. XLIV. de duobus sponsis concurrentibus, quorum unus sponsalia conditionata priora, alter autem pura posteriora contraxit. Carpzouius a se ipso dissentit, §. XLV. quid, si ad posteriora benedictio sacerdotalis accesserit? notatur iterum Carpzouius, qui sibi non constans, §. XLVI. quando duo cum eadem virgine matrimonium inire volunt, sequestratio interdum decernitur, quod & tunc fit, quando metus est, ne virgo metu inducatur, ut cum uno ex concurrentibus sponsalia celebret, §. XLVII. de pluribus legatariis, vel unius legatarii heredibus in optione concurrentibus, §. XLIX. conclusio dissertationis, §. XLIX.

§. I.

Antequam ad ipsam materiæ amplissimæ succinctam pertractionem nos adcingimus, breuius rubricæ dissertationis explanatio præmittenda erit. Inscriptimus dissertationem de *duobus concurrentibus*, non quod plures excipiamus, possunt enim tres

A 3

quo

quoque, quatuor, aut plures adhuc concurrere; sed quia in jure non infrequens est, ut duorum adpellatione plures etiam comprehendantur. Ita in ff. titulum *de duobus reis constituendis* habemus, cum tamen non raro in uno eodemque contractu tres pluresue correi constituantur. Ita bigamiæ prohibitio etiam polygamiæ prohibitionem comprehendit. Ea ita in reliquis.

§. II.

Faci vocabulum alias varie accipitur, prout Brissonius in tractatu *de verborum significatione* jam adnotauit. Papinianus in l. 218. ff. de V. S. *verbum facere*, inquit, *omnem omnino faciendi causam complectitur, dandi, soluendi, numerandi, judicandi, ambulandi*. DD. factum in *nudum* diuidunt, quod in sola membrorum applicatione subsistit, nec dominii, alteriusue juris translationem inuoluit, ut ire, agere, operas pro mercede *præstare*, &c. & *qualificatum*, quod ejusmodi juris translationem inuoluit, ut *soluere*, *tradere*, &c. Utrumque certo respectu ad nos in *præsenti* pertinet. Ita factum nudum est, quando duo tutores, negotiorum gestores, vel procuratores, circa idem negotium expediendum concurrunt; qualificatum vero, si jus retractus duo pluresue intuitu ejusdem prædii exercere, aut feudum promissum petere volunt. Non erraueris quoque si factum nostrum explicaueris, quod idem sit, ac negotium expediendum.

§. III.

An etiam *non factum* huc pertinet? Sane, quando DD. contractus innominatos, facio, ut facias, similesue recensent, sub terminis adfirmatiuis etiam negatiuos contineri dicunt, B. Stryk. in not. ad Lauterbach. tit. de *præscript. verb. ad verb. do, ut des, & potest* etiam in *præsen-*

senti materia casus obuenire, ubi non factum consideratur, verbi causa, si duo in communione ejusdem rei concurrunt, & ex illis alter aliquid facere intendit, alter vero ipsum prohibere vult, ne quid fiat; interim tamen ipsum factum adfirmatium principaliter nunc ad nos spectat.

§. IV.

Concursus vocabulum in iure s^epius occurrit. De concursu creditorum quadruplici egit Brunnemannus *in tract.de proc.conc.credit. c.1. §.1.* Strykius *in not.ad b. l. verbum concurrere vel rebus, vel actionibus, vel personis adpliari obseruat.* De concursu personarum pauca excerptimus, quæ scopo nostro inseruiunt. Personarum concursus, inquit, regulariter contingit ob æqualitatem juris, quod plures in eandem rem prætendunt. Sic datur concursus cognatorum, *l.1. §.1. ff. de grad.* concursus legatariorum, per *l. 80. ff. de legat.* 3. ubi obseruanda phrasis: *concursu partes fieri*, hoc est, si plures illi, quibus unares legata, concurrant, siue acceptant, illo concursu efficiunt, ut quisque partem capiat, *d. l. 80. & l. 1. §.3. ff. de usufr. ad cresc.* quod alibi effertur *legislatorios concursu dominium* (partis scilicet,) *adquirere*, *l. 7. C. de leg. &c.* In eo tamen concursus ille, de quo hactenus, a præsenti nostro concursu differt, quod concurrentes non semper partes faciant, uti legatarii, id est, quod non semper simul factum expediant, sed s^epe unus alterum ab illo excludat. Eodem modo vocabulum concursus intuitu creditorum accipitur. Nam hi omnes quidem concurrunt, solutionem urgent eamque ex bonis debitoris expe^ctant; verum multi ex illis nihil consequuntur, præcipue, si inter chirographarios locus ipsis adsignatus fuit.

§. V.

§. V.

Initium faciemus a pluribus tutoribus circa eandem tutelam gerendam concurrentibus. Agitur de hoc concursu in §. 1. 3. de satisdat. tut. vel curat. Diuersi autem casus hic probe sunt separandi. Primus casus nullum dubium habet, si scilicet testator in testamento suo adscripsit, quisnam ex pluribus tutelam administrare debeat, huic enim tutela, vel cura relinquenda, d. §. 1. 1. de satisdat. tut. quia amicissimos & fidelissimos parentes liberis tutores eligere solent, l. 36. pr. ff. de excusat. reliqui ergo tutores hoc casu honorariorum locum occupant, obseruatores actuum administrantis & custodes, de quo pluribus agit Ulpianus in l. 3. §. 1. & 2. de administrat. & peric. tut. ubi etiam §. 3. exceptio subiungitur, quod nempe tutori a patre destinato administratio cum exclusione reliquorum non sit committenda, si pater minus penso judicio tutorem elegit, forte minor viginti quinque annis; vel eo tempore fecit, quo iste tutor bonæ vitæ, vel frugi videbatur, deinde postea idem cœpit male conuersari ignorantे testatore; vel si condemplatione facultatum ejus res ei commisfa est, quibus postea exutus est.

§. VI.

Secundus casus est, quando tutores concurrentes ipsi unum eligunt eique administrationem tutelæ demandant, d. §. 1. 3. de satisdat. tut. Ulpianus in d. l. 3. §. 7. de admin. & peric. tut. si non erit a testatore electus tutor, aut gerere nollet: tum is gerat, cui major pars tutorum tutelam decreuerit. Praetor igitur jubebit, eos conuocari. Hoc quidem casu reliqui plene non liberantur, quia tutorum conuentione mutuum periculum minime finitum; interim tamen is, qui

qui administravit, si soluendo est, primo loco ejusque successores conueniendi sunt, *I.3. C. de diuid. tut. reliqui ergo beneficio excussionis, si ordinis, gaudent, Brunnem.*
ad d. I.3. Hartm. Pistor. p. i. qu. 6.

§. VII.

Tertius casus est, quando ex pluribus concurrentibus *prætor uni administrationem demandat.* Ulpianus in *d. I.3. §. 7 ff. de admin. & peric. tutor. prætor igitur jubebit, eos conuocari: aut si non coibunt, aut coacti non decernent, causa cognita ipse statuet, quis tutelam gerat,* confer etiam *§. I. I. de satisdat. tutor.* Cum vero & hoc casu reliqui non administrantes aliquando in subsidium teneantur, non minus, ac in casu primo in *§. V. ante proposito, scilicet, si per culpam suspectum non remouerunt, vel tarde suspicionis rationem mouerunt, uti loquuntur impp. in I.2. C. de diuid. tut. hinc prætor reliquis concurrentibus inuitis & renitentibus uni administrationem demandare nequit, & ergo, si non consentiunt tutores prætori, sed omnes gerere volunt, quia fidem non habent electo, nec patiuntur succedanei esse alieni periculi, dicendum est, prætorem permittere, eis omnibus gerere, d. I.3. §. 5. ff. de administr. & peric. tut.*

§. IIX.

Quartus casus sequitur, quando plures tutores concurrentes tutelæ negotium *inter se diuiserunt & alteri hoc, alteri aliud negotium expediendum commiserunt.* Ulpianus in *I.3. §. 9. ff. de admin. & peric. tut. item si diuidi inter se tutelam velint tutores, audiendi sunt: ut distribuatur inter eos administratio.* Hæc tamen diuisio pupillo præjudicium non infert, sed ille singulos in solidum nihilo minus conuenire potest, salvo interim beneficio ordinis,

B

siue

siue excussionis, si is soluendo est, qui negotium gessit,
l. 2. l. 3. C. de diuid. tutel. Hartm. Pistor. *d. part. 1. qu. 6.* Paul.
 Montanus *de iure tutel.* c. 39. num. 156. quod beneficium
 cessat, si ille tutor, qui eodem uti vult, alterum tutorem
 suspectum per dolum remoueri non fecit, aut si suspicio-
 nis causam agendo sua sponte jura pupilli prodidit, collu-
 dendo cum suspecto & patiendo, se ab eo superare, *d. l.*
C. de diuid. tut. Montan. *loc. cit. num. 155. & 172. seqq.*

§. IX.

Quintus casus est, quando tutela inter plures tuto-
 res a patre testatore, vel a iudice diuisa fuit. Hic unusquis-
 que pro sua solum administratione tenetur, perinde, ut in
 casu primo & tertio, *v. §. V. & VII.* nec reliqui conueniun-
 tur, nisi eum, qui damnum intulit, per dolum aut cul-
 pam non remouerunt, *d. l. 2. C. de diuid. tut.* conjunxi di-
 visionem a testatore & iudice factam, quoniam facta
 judicis & testatoris sibi æquiparantur, *l. 26. ff. de pignor. act.*
 Montan. *d. cap. 39. num. 177.*

§. X.

Addo sextum casum, quando plures tutores circa
 eandem tutelam concurrunt & omnes quoque eandem con-
 junctim administrant. Hic quilibet in solidum tenetur, si
 reliqui non sunt soluendo, alias vero beneficium diuisio-
 nis, locum inuenit, *l. 38. §. 1. de admin. & peric. & certo*
etiam casu beneficium ordinis, si unus ex pluribus da-
 mnum principaliter intulit, *conf. l. 39. §. 11. ff. eod.* Sed quid
 juris hoc casu in *autoritate interponenda* obtinebit? re-
 spondetur, quemadmodum in casu diuisæ tutelæ singuli
 pro suis partibus, vel regionibus, autoritatem præstant:
 ita in altero casu, quando diuisio non interuenit, unius
 tutoris autoritas pro omnibus tutoribus sufficit nisi for-
 san,

san res, quæ agitur, solutionem faciat ipsius tutelæ, ut puta, si pupillus in adrogationem se dare desiderat, tunc etenim quia integra tutela soluitur, ab omnibus etiam comprobandum est, quod omnes similiter tangit, prout loquitur Justinianus in *l. 5. C. de autor. præstand.*

§. XI.

Septimus casus adhuc subjungendus est, quando scilicet ex pluribus tutoribus concurrentibus *unus satisdationem offert* & sic solus administrationem tutelæ in se recipit, de quo in *s. 1. J. de satisdat. tut.* Debet autem oblatione hæc alternatiue fieri: *aut satisda & administra, aut satis a me accipe, & administrationem mibi relinque,* Julius Pacius in *anal. J. ad d. §. 1.* Hæc optio contutoris tamen non admittitur a prætore, nisi causa cognita, debet enim inspicere, qualis sit persona, quæ satisdationem offert & quales sint personæ contotorum, vel concuratorum, quod diludice explicat Ulpianus in *l. 17. ff. de testam. tutel.* quid enim, inquit, si suspecta persona sit, vel turpis, cui tutela committi nec cum satisdatione debeat? vel quid, si jam multa flagitia in tutela admisit? nonne magis repellere & rejici a tutela, quam solus administrare debeat? nec satis non dantes temere repelluntur: quia plerunque bene probati & idonei atque honesti tutores, etiamsi satis non dent, non debent rejici, quinimo nec jubendi sunt satisdare, *d. l. 17. §. 1.* Ex eodem fundamento profluit, quod etiam in illo casu, si plures satisdationem offerunt, is ceteris in administratione præferatur, qui est magis idoneus, *l. 18. ff. de testam. tut.* Obseruant vero DD. quod in hoc casu ille, qui oblata satisdatione reliquos circa eandem tutelam concurrentes ab administratione excludit, ad culpam leuissimam præstandam obligetur, in quem fi-

B 2

nem

nem prouocant ad l. 53. §. 3. ff. de furt. v. Lauterbach comp. jur. de tutel. & rat. distract. p. 475. Huberus praelect. ad tit. I. de satisdat. tutor. n. 2.

§. XII.

Quæ de tutoribus diximus, illa eodem modo & in iisdem casibus ad *curatores* pertinent. Transeamus ad duos *negotiorum gestores* circa idem factum expediendum concurrentes. Negotia aliena absentium & ignorantium expedire ad officia humanitatis pertinet, & ergo negotiorum gestor, si unus saltem adest, ad communem diligentiam præstandam, siue, ut dicunt, de culpa leui solum tenetur, quo pertinet l. II. ff. de negot. gest. & maxime eidens l. 20. C. eod. ibi: *cum non tantum dolum & latam culpam, sed & leuem præstare necesse habeat.* Ast vero, si duo concurrunt, & alter commodius administraturus est negotia, alter autem huic se se præfert, hic, qui alteri se se prætulit, ad culpam leuissimam præstandam tenetur, §. I. I. de oblig. quæ quas. ex contr. nasc. Consentit Lauterbach comp. jur. tit. ff. de negot. gest. p. 72. Beier pos. ff. eod. tit. posit. 18. falluntur vero Vinnius ad d. §. I. I. de oblig. quæ quas. ex contract. Joh. Strauchius ad univers. jus justinian. diss. 16. th. 16. Struuius S. I. C. ex 7. th. 50. cum ceteris, qui existimant, negotiorum gestorem indistincte, id est, licet aliis non concurrat, ad culpam leuissimam obligari, quibus jam respondit Illustr. Thomasius in not. ad Strauch. loc. cit. verb. *etiam leuissima.* Miserum plane argumentum est, quod aliquando etiam in medium profertur, negotiorum gestorem propterea indistincte, id est, alio non concurrente, ad culpam leuissimam præstandam teneri, quoniam culpa est, se immiscere negotio ad se non pertinenti; nam in §. I. I. de oblig. quæ quas ex

ex contr. dicitur, negotiorum gestionem *utilitatis causa* receptam esse, ne absentium, qui subita festinatione coacti nulli demandata negotiorum suorum administratio-
ne peregre profecti essent, desererentur negotia. An ergo, quod utilitatis causa receptum est, culpæ adnu-
merabitur? an ciuitas erit nocua? an officii humani-
tatis loco culpa subrogabitur? absconum certe. Hoc
quidem scio ex §. 7. I. de L. Aquil. quod imperitia culpæ
adnumeretur, & ergo etiam imperitus negotiorum ge-
stor non solum ad culpam leuissimam, sed etiam ad casum
præstandum obstringatur, I. n. ff. de negot. gest. at vero
non omnis negotiorum gestor est homo imperitus,
nec imperitus & negotiorum gestor sunt synonyma.

§. XIII.

Negotiorum gestor ab expeditione facti & negotio-
rum plane abstinere potuisset, quoniam ad humanita-
tis officia subeunda in foro nemo inuitus adigitur, & per
consequens etiam illi non imputabitur, licet ex diuersis
negotiis unum expediuenterit, alterum vero neglexerit.
Exceptio est, nisi aliis concurrat circa idem negotium
expediendum, qui & hoc & alterum simul expediuerit,
is vero, qui negotium unum saltem gessit, alteri se præ-
tulit, & sic se ipsum intrusit, hoc enim, uti jam in duobus
§§. præcedentibus vidimus, in jure odiosum reputatur,
v. l. 6. § 12. ff. de negot. gest. ibi: & si vir diligens, quod ab eo
exigimus, etiam ea gesturus fuit: an dici debeat, negotiorum
gestorum eum teneri & propter ea, que non gessit? quod puto
verius.

§. XIV.

Negotiorum gestoribus proxime accedunt *proto-
tutores*, nam hi etiam non tenentur, siquidem omni-

ne non attingunt tutelam, neque enim attingere debuerunt, qui tutores non fuerunt, *i.e.* §. 9. ff. *de eo, qui protut.* uno uerbo, nemo inuitus cogitur, ut pro tutori negotia gerat, sed res ad officia humanitatis pertinet. An ergo pro tutor tenebitur, si aliqua expediuit, cetera neglexit? si solus est, non tenetur, bene tamen, si alii circa eandem gestionem concurrant. Ulpianus in *d.l.i. §. 9.* quod *si quædam gessit, videndum, an etiam eorum, quæ non gessit,* *teneatur, & hactenus tenebitur, si aliis gesturus fuit.* Intelligunt tamen DD. hoc de eo solum, qui sciuit, se non esse tutorem, sed qui tantum ad certum negotium moram non patiens loco tutoris accedit, nam qui putat, se esse tutorem, licet errauerit, ille propter opinionem suam nihil negligere debet, Faber in *cod.l. 5. tit. 28. def. l. n. 4. innot.* Berlich *p. 2. decis. 230.* B. Brunnem, in *comm. ad l.i. ff. de eo, qui protut. num. 4.*

§. XV.

Videamus de pluribus *procuratoribus* circa idem factum concurrentibus. Plures procuratores etiam intuitu eiusdem litis dari posse extra dubium est, hoc autem facto singuli in solidum commissum negotium expediunt, & sic occupantis melior conditio est, ut posterior non sit in eo, quod prior petit, procurator, *l. 32 ff. de procur.* Ratio in casu ad fine de pluribus *fideiussoribus & heredibus rei* circa eandem defensionem concurrentibus hæc redditur, ne defensio per plures scissa incommodo aliquo adficiat actorem in *l. 5. §. 7. ff. judicat. solu.* unde etiam illi fideiussores & heredes defensionem suscipientes unum procuratorem dare necesse habent, juxta *l. cit.* idem jure canonico obtinet in causis spiritualibus, *ne propter procuratorum concursum negotia eadem intricari contingat,* & hinc plu-

pluribus procuratoribus non in solidum deputatis judex magis idoneum ex ipsis eligere valet, c. 6. vers. sane in electionum. de procur. in 6. in negotiis secularibus plurium procuratorum constitutionem, etsi in solidum ea facta non sit, admittit d. c. 6. pr. & hanc dispositionem hodie in judiciis obseruaui putat Ziegler ad Lancellott. instit. jur. canon. l. 3. tit. 2. §. 6. uerb. & tam unus. Quemadmodum vero ipse Zieglerus absurditatem cit. c. 6. fuse ostendit: ita ego de praxi illa admodum dubito, maxime, cum in camera imperiali praxis in contrarium adsit, ordin. cam. p. 1. tit. 19. rubr. wie man Procuratoren und Aduocaten bestellen, wie viel, und was Sachen ein ieder annehmen soll, s. 1. Blum. proc. cam. tit. 10. §. 7. quo & ipse collimat Stryk in us. mod. ff. tit. de procur. §. 27. De praxi Pomeraniae a dispositione juris canonici recedente textus est in der Hinter-Pommr. Hof-Ger. Ord. tit. 12. § 3. und sollen sich von denselben ie zu einer Sachen nicht mehr, als einer zum Procuratoren und Aduocaten bestellen lassen, und nicht zweene, drey, oder mehr einer Parthen und in einer Sachen zugleich aduociren, oder procuriren, &c.

§. XVI.

In hereditate communi saepe duo pluresue circa idem factum (qualificatum, v. §. II.) concurrunt, quando scilicet res aliqua in hereditate occurrit, in quam specialis affectio cadit, & quam unus ex coheredibus habere vult, alter eandem mauult. Supponimus, rem commode diuidi non posse. Hic certe idem velle non est firmissima amicitia, sed saepe odium parit. Quisnam ergo ex duabus hisce concurrentibus alteri preferendus erit? judicem licitatione admissa unirem adjudicare posse, habetur in

l. 22.

I. 22. §. 1. ff. fam. ercisc. quod ita intelligendum, si unus ex coheredibus concurrentibus majus pretium offert. Si pecunia ab utroque oblata ejusdem quantitatis est: res non nisi per sortem, siue fortunæ judicium, dirimi potest, v. Meu. 4. dec. 397. num. 2. Carpzou. p. 3. c. 15. d. 1. idem fortis judicium adhibendum est, quando in judicio familiæ erciscundæ aliisque duplicibus *uterque litigantium eodem tempore ad judicium prouocat*, quamvis hoc meo quidem judicio rarius fieri possit.

§. XVII.

Quando duo emtores circa eandem rem habendam concurrunt, sine dubio ille præferendus erit, qui prius rem emit, huic enim jus quæsitum est, quod ipsi inuito auferri iterum non potest. Interim jure romano hæc regula limitatur in eo casu, si venditor rem venditam posteriori emtori jam tradidit, priori enim emtori contra posteriorem actio denegatur, tam rei vindicatio, *I. 15. C. de rei vind.* quam actio publiciana, *I. 7. §. 16. ff. de public. in rem. act.* & ergo nihil aliud superest, quam actio ad interesse aduersus venditorem, nisi forsitan, ut *DD.* existimant, posterior emtor in mala fide fuerit, id est, sciuerit, rem illam jam ante alteri venditam fuisse, quo casu ipsius mala fides translationem dominii impedit, & hinc prior emtor contra posteriorem actionem doli instituit, v. Brunnen. *ad I. 9. ff. de public. in rem. act. num. 6.* Abstrahendo a jure romano priori emtori contra posteriorem actionem indistincte concedendam esse censeo. Venditor priori emtori rem jamdum vendiderat & sic dominium penes ipsum non amplius erat. Et ergo dominium quoque posterior emtor adquirere non potuit, nemo enim

nim plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habet. Urges forsan traditionem; verum respondeo, traditionem, quatenus actus mere physicus est, nullum jus in alterum transferre. In nostro casu autem nihil aliud illa est, quam ejusmodi actus mere physicus, quoniam titulus ad transferendum dominium habilis non praeescit, venditor enim dominium non amplius habuit. Taceo, quod iure naturæ traditio ad translationem dominii non sit necessaria & sic prior emtor vi adquisiti dominii contra secundum emtorem valide experiri queat, v. Hugo Grotius *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 8. §. 25.* quo etiam collimat Pufendorff. *de iure nat. & gent. l. 4. c. I. §. 8.* ubi dicit, necessum non esse admitti, alienanti ante traditionem dominium aliquod imperfectum superesse, nisi dominium valde *ἀκύρως* velis vocare meram facultatem physicam super re aliqua de facto disponendi citra facultatem moralem.

§. XIIIX.

Plurimæ quæstiones ad institutum nostrum pertinens in materia de *iure protimiseos, siue retractus,* occurunt, de quibus iam ante nos fuse egit B. Strykius in tract. *de success. ab intest. diff. 6. c. 3. §. 16. seqq.* Unde nos in praesenti spicilegia saltem colligemus. Cum vero jus retractus interdum ex conuentione, interdum ex lege proueniat, & hoc posterius iterum diuersas suas species habeat; hinc si materiam distincte pertractare volumus, diuersi illi casus probe ad inuicem separandi erunt.

§. XIX.

Primus casus est, quando duo concurrunt, quorum unus rem venditam ex conuentione, alter vero eandem ex legis dispositione retrahere vult. Quæritur: quisnam ex il-

C

lis

Iis in concursu alteri sit præferendus? Valde obstat videatur vulgatum illud, quod prouiso hominis tollat prouisionem legis &, prout vernacula dicimus, *Willführ bricht Land-Recht*, Barbosa *axiomat. jur. usufrequent axiom. prouiso 195.* Finckelth. *obs. 21. num. 9.* atque exinde quispiam inferre posset, quod ille sit præferendus, qui rem venditam ex conuentione retrahere intendit; nihilominus tamen DD. in ea sunt opinione, quod alter præferendus sit, qui jus retractus ex lege competens exercere vult, Stryk. *loc. cit. §. 17.* Rationem hanc esse existimo. Lex est ante conuentionem. Ex illa lege v. g. proximus cognatus, ratione juris retractus exercendi jus quæsitum habet, quod ipsi per subsequentem conuentionem auferri non potest. Atqui, dicis, proximis tamen cognatis per alienationes inter viuos, vel etiam per dispositionem testamentariam bona auferri possunt; regero, cognatos intuitu successionis non habere jus certum, sed solam spem, hanc vero spem fallacem esse & tam per conuentiones, quam per ultimas voluntates interuersi posse. Liberi & parentes intuitu portionis legitimæ jus quæsitum habent, atque hinc etiam legitima illa nullo modo auferri, vel grauari potest, alias enim querelæ in officiosi locus est, *i. e. ff. & C. de inoff. testam. tit. C. de inoffic. donat. & inoffic. dot.* Præjudicia huc pertinentia exhibit Christoph. Philipp. Richter *p. 2. decis. 76. n. 96. & 97.*

§. XX.

Idem statuendam erit, si ex duobus concurrentibus unus ex *testamentaria dispositione*, alter vero ex legis prouisione jus retractus exercere velit. Nam lex quoque illud jus indulgens ante testamentum existit, atque adeo per hoc jus ex legis dispositione quæsitum alteri auferri ne-

nequit. Mathæus ab Afflictis in tract. de jure probomis
seos §. 3. n. 10. hunc casum quoque tetigit & sequentem in
modum ratiocinatur: sed aduerte, inquit, quia testator
tacite, vel presse non potest prohibere jus congrui,
quia testator non potest facere, quod leges non habeant
locum, l. nemo potest. 55. ff. de legat. i. Sic etiam de con-
suetudine, quæ pro lege seruatur, ut in l. de quibus 32. ff.
de LL. nam beneficium concessum a consuetudine auferri
non potest a priuatis. Eadem dicere voluisse censetur
ab Afflictis, quæ in §. præced. adtulimus, quamuis non adeo
clare sese explicauerit.

§. XXI.

Cum retractu conuentionali adfinitatem aliquam
habet pactum de retrouendendo, cuius occasione hunc fin-
gunt casum: emtor rem oneri retroueditionis obno-
xiām primo venditori retrouendit, cum primo vendito-
re, nunc reemtore, concurrit cognatus retrouendentis, qui
jure retractus legali uti vult, queritur, quisnam sit præ-
ferendus? reemtorem præferunt, modo pactum de re-
trouendendo ipsi contractui in continentī fuerit adje-
ctum, Tiraquell. de retract. lignag. §. 11. gl. 7. num. 1. seqq.
Stryk. de success. ab intest. diss. 6. c. 3. §. 19. Scilicet lex pro-
ximo cognato jus retractus concedit in bonis, quæ pro-
ximus cognatus vendens sine ulla restrictione possedit
& quæ ergo ille pro lubitu, vel in hunc, vel in alium alien-
nando transferre potuit; at vero retrouendor rem one-
ri retroueditionis obnoxiam ita sine restrictione non
possidet, quia pactum de retrouendendo, prout suppo-
suimus, in continentī in prima venditione fuit adjectum.
Quod si ergo primus venditor jus retroemendi ex inter-
vallo demum sibi stipulatus esset, alter concurrens præ-

C 2

fer-

ferri deberet, qui ex legis prouisione jus retractus exercere vult. Quia enim primus emitor rem emtam ab initio sine ulla restrictione & onere retrouenditionis accepit, proximo cognato mox jus quæsumum fuit, quod ipsi per pactum subsequens auferri non potuit, *l. ii. ff. de R. I.* ast vero in priori casu pactum de retrouendendo mox ab initio & sic eo tempore inibatur, quo proximus cognatus jus quæsumum nondum habebat. Simile quid reprehendimus in materia pignorum & hypothecarum. Quamvis enim creditori in omnibus debitoris bonis, praesentibus & futuris, generalis hypotheca constituta fuisset; nihilominus tamen huic creditori venditor v. g. ratione residui pretii, &c. præfertur, qui in continenti & eo tempore, quo contractus venditionis celebratus fuit, hypothecam in re vendita sibi referuauit, *Meu. p. 6. dec. 193. num. 4. & 5. Brunnem. proc. conc. c. 5. §. 13.*

§. XXII.

Progrediamur ad casum secundum, quando concurrunt inter se *dominus directus in emphyteusi & cognati emphyteutæ rem emphyteuticariam alienantis*, adeoque duo pluresue, qui singuli jus retractus ex legis dispositione prætendunt. Dominum directum cognatis emphyteutæ præferendum esse censemus, quoniam in *l. 3. C. de iur. emphyteut.* solius domini directi mentio injicitur, verb. & *siquidem dominus hoc (premium ac alio oblatum) dare maluerit, & tantam præstare quantitatem, quam ipse reuera emphyteuta ab alio recipere potest, ipsum dominum omnino hoc comparare.* Adsunt etiam rationes particulares, ne scilicet domino inuito aliis emphyteuta obtrudatur, quem non elegit, quod tamen fieret, si cognato emphyteutæ ali-

alienantis jus retractus præ domino concederetur, Stryk.
de success. ab intest. diss. 6. c. 3. §. 21.

§. XVIII.

Tertius casus. Emphyteuta rem emphyteuticariam in tertium per modum venditionis transferre vult, dominus prætendit jus retractus ex *cit. l. 3. C. de jur. emphyt. concurrit vero cum domino vicinus emphyteutæ.* Manet prior decisio, posito etiam, quod ius retractus ex capite vicinitatis alicubi receptum fuerit, ex ratione in §. *præc.* adducta. Nam & hoc casu domino directo in uito nouius obtruderetur emphyteuta, cuius personæ industriam ille non elegit, cum tamen ad industriam hanc in prima concessione emphyteuseos præcipue respexerit, propterea, quod emphyteuta rem concessam meliorem reddere tenetur. Interim, si dominus ipse retrahere nolit, cognatus vicinus ue admittendas erit (excepto tamen casu in §. *seq. adducendo, quia tunc dominus juri suo renunciauit,* quod ipsi permisum, *Id l. c. §. 22. Matth. ac Afflict. de jur. prothom. ad princ. leg. num. 7.*

§. XXIV.

Quartus casus est, quando dominus directus & socius emphyteutæ in retractu concurrunt. Hunc quidem casum non tangunt DD. in specie, quos nos euoluimus: interim tamen nobis ex principiis ante positis ita dicendum videtur. Si socius intuitu ipsius rei emphyteuticæ cum emphyteuta partem suam alienante in societate viuit: socius non solum domino directo, sed etiam cognato & vicino præferendus erit. Dominus enim eo ipso, dum huic & alienanti prædium ab initio in emphyteusin concessit, ipsius personæ industriam elegit, nec domino in uito nouius emphyteuta obtruditur. Ergo cessant ratio-

C 3

nes

nes, ex quibus agnatus & vicinus cum domino concur-
rens excludebatur. Quod si tamen socius ille non intui-
tu rei emphyteuticæ, sed aliorum bonorum cum emphy-
teuta in societate viuit, aut si dominus ab initio ei cum
emphyteuta prædium in emphyteusin simul non con-
cessit, sed emphyteuta illum priuata autoritate in socie-
tatem adsumsit: juri retractus nullus locus esse poterit.

§. XXV.

Quintus casus. In retracto exercendo *cognatus & so-*
cios concurredit, quis alteri erit præferendus? Abstrahimus
jam a bonis emphyteuticis, de quibus haec tenus locuti
sumus & supponimus bona pleno jure ad alienantem per-
tinentia. In constitutione Friderici 5. E. 13. præfertur co-
gnatus verb *in primis vocentur parentes*, qui sunt *conjun-
cti, post hos socii, &c.* & auctoritate hujus constitutionis
nilius idem adserit Wissenbachius *ad ff. disp. 36. th. 10. verb.
deficientibus consanguineis coheredes, socii, vicini, confines
hoc (jure) gaudebunt.* Statuta Mindensia eodem modo di-
sponunt juxta Crusium *ad Statut. Mindens. tit. II. art. 7. 8.*
quem adlegat Strykius *de success. ab intest. dissert. 6. c. 3. §. 23.*
Jus retractus ex capite societatis, vel communionis, non
ubique quidem obtinet, unde illi, qui hoc adserit, onus
probandi incumbit, v. Struu *Jurispr. rom. germ. form. I. 3.*
tit. II. aph. 27. sed nos in præsenti supponimus, probatum
esse, quod illud in aliquo loco obtineat. Fateor, decisio-
nem hujus casus admodum dubiam esse, quoniam agna-
tus in concursu dicto prælationem propterea prætendit:
quia res vendita retractu non admissa e familia exiret,
socius vero in communione dominii, quam haec tenus ex-
ercuit, fundamentum suæ intentionis ponit. Interim
DD. plerique hunc canonem calculo suo adprobarunt,
quod

quod ille præferendus sit, qui ex duplice capite jus retractus prætendit, quia duplex vinculum fortius ligat, v. Richter p. 2. decis. 76. n. 86. & 87. atqui socius retrahere volens & in jure communionis & in jure vicinitatis sese fundat, cognatus vero unum solummodo fundamentum adlegat, nempe jus cognationis, & ergo socius cognato concurrenti præferendus erit, B. Stryk. dict. diff. 6. c. 3. §. 24. & 26. Suppono hic iterum, de eo certo constare, quod jus retractus ex capite vicinitatis in aliquo loco receptum fuerit; si enim hoc aliter sese haberet, ego salvo aliorum judicio cognatum concurrentem socio retrahere volenti præferrem, quoniam tunc quilibet ex concurrentibus unum saltem vinculum allegare posset, in tali nutem casu cognato magis fauendum esset, quoniam finis primarius juris retractus est, ut familiæ conserventur, Richter d. decis. 76. num. 9. 10. & 88. unde etiam retractus ex capite cognationis, licet a constitutione Friderici abstrahamus, ubique locorum fere receptus est, alter autem ex capite communionis & vicinitatis probationem adserentis requirit, si ab aduersario negetur.

§. XXVI.

Sextus casus. In retractu exercendo *concurrit socius cum vicino*. Hunc casum in specie non tangunt DD. quos ego euolui, puto tamen facilem esse ex supposito decisionem. Scilicet dicunt, eum præferri debere, qui duplice jure gaudet. Sed vero socius & communionem & vicinitatem adlegat, nam de bonis immobilibus retrahendis hic semper loquimur, alter autem solam vicinitatem. Vicinus hoc fundamento nititur, ne ipsi injuriosus & rixosus vicinus obtrudatur: socius retractum intendens idem adducit, & præterea hoc, ne cum homine

cu-

cujus fidem & industriam non probauit, in communione viuere cogatur. Adparet exinde, socii causam magis fauorabilem esse, quoniam duplii incommodo adficeretur.

§. XXVII.

Septimus casus. Circa eandem rem retrahendam concurrunt plures consanguinei venditoris. Supponitur hic ab initio, cognatos illos concurrentes ejusdem gradus esse, alias enim, prout notum, proximior remotiorum excluderet. Deinde vero distinguendum est, utrum res retrahenda diuidua sit, an vero indiuidua. Priori casu omnes concurrentes ad retractum exercendum simul admittuntur, posteriori autem casu siquidem communio omnibus placet, omnes iterum admittendi erunt, de quo casu in specie Wissenbach. *ad ff. disp. 36. tb. 8.* si vero communio displicet, ad quam inuiti cogi non possunt, præventioni locus erit, ut scilicet ille præferatur, qui prius de retractu egit. Ita enim & alias in jure receptum est, ut v. g. quanto in tribus judiciis, familiæ erciscundæ, communi diudundo & finium regundorum, quæritur, quis auctor intelligatur, quia par causa omnium videtur? is videatur auctor, qui primus ad judicium prouocavit, *l. 13. ff. de iudic.* forte autem res dirimenta sit, si ambo (simul) prouocant, *l. 14. eod.* Non obstat, quod in casu retractus per ejusmodi præoccupationem iura lociorum perimanunt & hoc intendatur, ut re, quæ ipsis pro parte competit, socii plane excitant; respondeo enim primo, vigilantibus jura esse scripta & sic locum, vel æque proximum consanguineum, sibi imputare debere, quod non statim de retractu egerit. Damnum, quod quis sua culpa fecit, non est damnum. Deinde etiam ex alio capitulo

te cognatus exclusus magnum damnum non sentit. Retractus non est gratuitus, sed retrahens ad idem premium soluendum tenetur, quod tertius venditori obtulit. Quemadmodum ergo cognatus exclusus rem venditam ejusue partem non consequitur: ita nec pecuniam exolut, sed eam sibi retinet & pro illa aliam rem comparare poterit. Imo etiam in illo casu, quando judicium fortis adhibetur, hoc intenditur, ut unus cognatorum æque proximorum re, quæ ipsi pro parte competebat, plane excidat, & tamen de justitia illius judicii nemo unquam dubitauit. Et sententiam illam a nobis in hoc §. propositam DD. calculo suo communiter adprobant, v. Rein king *de retract. consanguin. qu. 2. num. 36. 84. seqq.* Tiraquell. *de retract. p. 1. §. 12. gloss. 10. num. 4.* Richter *decis. 76. num. 19.* Carpzou. *p. 2. c. 31. def. 10. num. 7. & 8.* Struu. *jurispr. rom. germ for. l. 3. tit. II. aph. 31.* Stryk. *de success. ab intest. diss. 6. c. 3. §. 25.* Eodem modo jure Lubecensi, Hamburgensi & Luneburgensi obseruatur in eo casu, quando plures heredes æque proximi bona hereditaria a cognato de facto alienata reuocare uolunt, Meu. *ad jus Lubec. l. 3. tit. 7. art. 1. num. 42. seqq.* v. Dn. Præses *in diss. de diuerso jure bonorum adquisitorum & hereditariorum §. XLIX.*

§. XXIX.

Exceptio eorum, quæ modo fuse adduximus, in eo casu deprehenditur, quando unus ex concurrentibus æque proximis cognatis simul alienantis vicinus est intuitu rei alienatæ, supposito, quod jus retractus ex capite vicinitatis in loco aliquo receptum fuerit. Hocce casu ille consanguineus, qui simul alienantis vicinus est, alterum consanguineum, licet æque proximus ille sit, a jure retractus penitus excludit, per ea, quæ ante in §. XXV. diximus,

D

quod

quod nempe duplex vinculum fortius liget, conf. Matth. ab Afflict. de jur. prothom. §. 1. num. 36. in fin. Richter. de decis. 76. n. 86. & 87.

§. XXIX.

Octauus casus, In retractu exercendo cognatus alienantis cum vicino eiusdem concurrit, quis alteri præferendus erit? Pro vicino pronunciat Matth. ab Afflictis de jure prot. §. 8. num. 1. seq. unus vicinus, inquit, excludit multos parentes, sicut alias dicitur, quod una ratio efficax vincit duas persuasiones. Rationes subjungit sequentes Matthæus ille: (1) quia magis est priuilegium, quod quis habet jure vicinitatis & sic rei, quam priuilegium ratione personæ, (2) quia potentius est priuilegium accidentale, quam naturale, & (3) quod diuersitas conjunctionis diuersum producat effectum. Quemadmodum vero hæ rationes admodum obscuræ sunt: ita quoque omni fundamento destituuntur. Posterior ratio, quod nempe priuilegium accidentale potentius sit, quam naturale, judicio B. Strykii d. dissert. 6. c. 3. §. 24. corruit, simul ac perlecta, & nec prior majoris est roboris, retractus enim consanguinitatis peræque tribuit jus in re, atque vicinitatis. Nobis ergo magis se probat sententia Richteri decis. 76. num. 88. quod nempe cognatus alienantis vicino præferendus sit, ex ratione jam supra §. XXV. in casu simili suppeditata.

§. XXX.

Nonus casus sequitur, quando *duo vicini in exercitio iuris retractus concurrunt*. Hic principia in §. XXVII. repetenda sunt. Si res vendita commode diuidi potest, uterque ad jus retractus exercendum admittendus erit. Sin vero ejusmodi diuisio commode fieri nequeat: præferendus erit, qui prior de retractu egit, aut, si uterque simul

simul actionem instituit, sortis judicio res committi debet. Uterque enim vicinus idem jus habet, at vero ubi æquali jure partes gaudent, judex unum reliquis in uitis præferre nequit, sed omnibus aliis deficientibus ad formam recurrendum est.

§. XXXI.

Adiungam hic sententiam ab illustri Facultate iuridica in Fridericana nostra mense Decembri An. 1713. ad consultationem Senatus Jeuerensis conceptam & a Dn. Præside mihi communicatam. D. P. ædes venditas ex capite consanguinitatis retrahere volebat, D. F. & H. F. idem ex iure vicinitatis prætendebant. D. P. ius retractus ex jure vicinitatis Jeueræ non in usu esse ad serebat, econtrario autem D. F. & H. F. nec retractui ex jure consanguinitatis ibidem locum dari sustinebant, nisi intuitu bonorum auitorum, ad quæ non pertinebant ædes venditæ. Pronunciatum fuit: das D. P. (qui ex jure cognationis retrahere volebat,) zu dem Vorkauf des Hauses quæstionis vor D. F. und H. F. zuzulassen, es könnte und wolte denn D. F. gehörig erweisen, daß in Jever der Vorkauff auch wegen der Nachbarschaft in Gebrauch sey, der Vorkauff wegen der Blutfreundschaft aber daselbst nur bloß in alt-väterlichen Güthern statt finde, so erginge so dann seines Suchens halber ferner was recht ist, B. R. M. Rationes decidendi sequentes fuerunt.

Ob wohl D. F. zu erst, hernach aber H. F. und zuletzt allererst D. P. wegen des Vorkauffs an dem Hause quæstionis sich gerichtlich gemeldet, und es also scheinen möchte, daß entweder D. F. oder H. F. dem dritten, nemlich D. P. vorzuziehen sey;

D 2

Die-

Dieweil aber dennoch D. P. das jus retractus ex capite consanguinitatis prætendiret, und dann dieses Recht allenthalben in Teutschland auch insgemein in bonis non auitis recipiret ist, dahero Er disfalls (etiam si vltimus in agendo fuerat,) fundatam intentionem hat, so lange nemlich das gegentheil nicht erwiesen worden, welches bishero nicht geschehen: im gegentheil aber alle beyde D. F. und H.F. ermeldetes Näher-Recht ex capite vicinitatis prætendiren, D. F. auch einen ganzen Monath ehe, als H. F. das jus retractus testantibus actis gesuchet hat, und Er also, da Sie paria jura haben, wann D. P. nicht interveniendo gekommen wäre, propter præventionem H. F. vorgehen müssen, inzwischen aber bekand ist, daß das jus retractus ex capite vicinitatis nicht an allen Orthen recipiret, sondern derjenige, welcher sich in receptione & obseruantia fundiret, das onus probandi über sich nehmen muß,

Struu. S. I. C. exerc. 23. th. 54.

Hingegen, wann D. F. besagte obseruantiam zu erweisen vermochte, der Ausspruch wiederumb anders und nach Anleitung dessen, so

Stryk. de success. ab intest. diss. 6. c. 2. §. 25.
hievon anführt, ausfallen würde; So ist dergestalt zu erkennen gewesen.

§. XXXII.

Decimus casus. Supposuimus haec tenus, vicinos concurrentes ex æqua parte vicinos esse; sed quid, si tales sint *ex partibus inæqualibus?* Matthæus ab Afflictis *de iure prothomis.* §. 7. ab init. casum sequentem proponit: Unus ex vicinis ædibus venditis propinquus est a tribus par-

partibus, alter vero ab una parte solum, vel etiam a duabus partibus, hi in exercitio juris retractus ex capite vicinitatis concurrunt, quæritur, quis ex concurrentibus istis alteri sit præferendus? Autor citatus pro eo pronunciat, qui ex tribus lateribus est propinquus, ille enim, ut loc. alleg. n. 3. subjungit, habet jura triplicata, alter vero non nisi duo jura, tria autem jura vincunt duo. Reliquæ quidem rationes, quas num. 4. adducit, nullius sunt momenti, v. g. quod si tres sunt judices delegati, sententiæ majoris partis stetur, perinde ac eo casu, quando tres sunt judices ordinarii, aut arbitri etiam: quod majori parti creditorum stetur, ubi de parte debiti remittenda agitur, vel quando debitori petenti induciæ conceduntur a creditoribus, &c. interim tamen ex alio fundamento defendi potest opinio Matthæi ab Afflictis. Scilicet vicinis jus protimiseos alicubi propterea concessum est, ne ipsis vicinus injiosus & rixosus obtrudatur; jam vero ab ejusmodi malo vicino majus malum sine dubio imminet ei, qui ex tribus lateribus alienanti propinquus, quam illi, qui ex uno, vel duobus saltem lateribus talis est. Ergo ipsius petitio majorem fauorem meretur. Suppono autem, rem esse individuam. Si enim commode diuidi posset, uterque pro rata retraheret atque sic utriusque consulteretur.

§. XXXIII.

Undecimus casus, quem Matth. ab Afflictis d. tract. §. 1. num. 44. proponit, parum difficultatis habet. Duo, inquit, sunt vicini, *unus vero est propinquior, alter remotior*, quæro, an propinquior rem venditam in solidum retrahere posit; altero excluso, qui est remotior? respondet noster autor, dic, quod sic. Nos itidem respondemus,

D 3

quod

quod propinquior sit præferendus, ex ratione paulo ante posita, quoniam vicino propinquiori præjudicium ab alienante ejusque emtore imminet, si nempe emtor est injiosus, rixosus, & similis, quod præjudicium non sentit vicinus remotior. Ergo principalis ratio ad vicinum remotiorem non quadrat, nam hic in præsenti materia reuera non est vicinus.

§. XXXIV.

Duodecimum casum proponit idem Matthæus ab Afflictis *d.l. num. 44.* hoc modo: *juxta hoc quæro, inquit, Titius vendidit domum mihi juxta aliam donum meam: vicinus agit contra me jure congrui in solidum, an ego, ex quo sum vicinus, habeam jus congrui propter meam contra me ipsum?* Matthæus ille ab Afflictis paullulum obscure loquitur, tentabimus tamen, utrum ejus mentem paulo clarius exponere possimus. Sensus hic esse videtur. *Vicinus meus mihi vicino ex latere dextro ædes suas vendit. Postquam ego illas ædes emi, vicinus ex latere sinistro jus retractus exercere vult, quæritur: an hoc procedat, vel, annon potius ego, qui ædes emi, illas ex capite vicinitatis retinere possim?* Autor citatus hanc rationem dubitandi pro negatiua adfert, quod jus congrui confusum sit, ex quo egomet emi, qui eram vicinus. Quid vero jam respondet ille ab Afflictis? & hoc est verum, dicit, quod actio juris congrui est confusa, non tamen, pergit, est confusa, ut non possim excipere de parte mea ratione vicinitatis, & sic licet actio sit extincta de jure ciuili, habet tamen locum exceptio pro parte mea ratione vicinitatis, quam habeo juxta rem emtam per me, & in parte mea potero contra aduersarium excipere, quod sibi non competit jus congrui, &c. Vera ratio esse videatur, quod in nostro casu res non fuerit in extraneum trans-

translata, atque adeo quemadmodum, si quis rem uni ex pluribus cognatis proximioribus vendidit, reliqui æque proximi jus retractus exercere non possunt, sed penes venditorem est, cui ex cognatis pluribus æquo pretio rem velit vendere, Struu. *Jurispr. Rom. Germ. for. l.3. tit. II. aphor. 33.* ita etiam penes venditorem est, cui ex æque vicinis ædes suas vendere velit,

§. XXXV.

Decimus tertius casus. Res aliqua sub hasta venditur, in licitatione autem creditores cum extraneis concurrunt & ex utraque parte idem plane premium offertur, dubium est, cuinam in ejusmodi concurso res sit adjudicanda? Gajus in l. 16. ff. de reb. aut. jud. possid. creditorem præfert, etiam in eo casu, si cum creditore debitoris, cuius bona veneunt, cognatus concurrit. Si & cognatus debitoris cum extra-neo concurrit, cognatus præfertur, nemine ex credito-ribus concurrente. Denique si plures creditores concur-runt: inter eos is potior est, cui major pecunia debebitur, d. l. 16. Sed quid si duobus creditoribus concurrentibus eadem summa debeatur? Forti locum esse arbitror. In Saxoniam hæc, quæ adduximus, non valent, sed ibi primus licitator indistincte jure protimiseos gaudet, Carpzou. p. l. c. 32. def. 42.

§. XXXVI.

Decimus quartus casus. Paulus, Meuius & Jauolenus ædes communes possident, quilibet ex tertia parte pro indiuiso. Paulus tertiam suam partem alienat, *reliqui duo socii intuitu juris retractus concurrunt.* Puto, quia utraque pars paria jura habet, quod præventioni locus detur, aut forte res sit dirimenda, si uterque eodem tempore de retractu agit. Ceterum & hic penes venditorem est, utrum uni

uni ex sociis partem suam vendere velit, quo facto alteri jus retractus nullo modo competit, prout in simili casu ante diximus §. XXXIV. *in fin.*

§. XXXVII.

Decimus quintus casus. *Duo jus protimiseos sibi stipulati sunt, verum diuerso tempore, & nunc in exercitio iuris retractus concurrunt.* Extra dubium hic est, quod is, qui prius stipulatus est, posteriori sit præferendus, jus enim ex stipulatione quæsumum ipsi inuitu & inscio auferri non potest, v. B. Stryk. *de success. ab intest. dissert. 6. c. 3.* §. 27. quod si eodem tempore illud jus sibi stipulati sunt: in re diuidua uterque simul admittitur, in re indiui dua autem præventioni locus datur, vel denique hac præventione deficiente res sorti committitur, quisnam alteri sit præferendus.

§. XXXIX.

Addam adhuc decimum sextum casum. *Concurrunt duo consanguinei æque proximi, verum unus ex illis præter jus sanguinis etiam speciali pacto sibi prospexit, atque adeo duplex fundamentum juris protimiseos allegare potest, ex lege & ex conuentione.* Quæritur, annon hic alteri præferendus sit? Ratio dubitandi pro adfirmativa est, quia aliquoties diximus, quod duplex vinculum fortius liget & proinde alteri præferatur, qui tale duplex vinculum allegare potest; verum enim vero contraria sententia nihilominus verior est. Supra enim §. XIX. jam ostendimus, quod pacta de jure retractus interposita in præjudicium juris retractus ex lege competentis nihil quidquam operantur. Ergo unum ex illis vinculis duobus, ad quæ in nostro casu alter consanguineus prouocat, est vinculum im-

impertinens & sic nullum jus prælationis in concursu producere potest.

§. XXXIX.

Explicauimus hactenus potissimos casus in materia de jure protimiseos & concursu duorum circa idem factum obuenientes. Si qui alii adhuc forsan obueniunt, illi ex principiis a nobis positis facile resolui poterunt. Unde nunc ad alia progredimur. Evidem ex materia concursus creditorum plurimi casus ad scopum nostrum facientes huc etiam referri possent; verum cum integri tractatus, iique non pauci, extent, in quibus de creditoribus circa idem pignus, &c. concurrentibus ex instituto tractatur, hinc beneuolum lectorem eo remittimus.

§. XL.

In feudis sæpe expectativa conceditur, non solum uni, sed interdum quoque duobus, vel pluribus intuitu ejusdem feudi, qui adeo deinde, postquam feudum apertum est, inter se concurrunt, non ut partes faciant, sed ut alter alterum excludat, unde jam dispiciendum, quemnam leges alteri præferant. Prouocant vero DD. hic communiter ad eadem principia, quæ supra §. XVII. recensuimus in materia de duobus emitoribus circa eandem rem habendam concurrentibus. Adserunt ergo, quod cum duo de eodem feudo in casum eius vacaturi concessio nem impetrant, nemine adhuc inuestito potior sit causa priori concessione nitentis, Hartm. Pistor. part. 2. qu. 29. num. 1. Meu. p. 4. dec. 78. Cum vero alter eorum simul inuestitur, hic præfertur nudam expectatiuam habenti, & si uterque inuestitus, potior est causa prius inuestiti, Rosenthal de feud. cap. 6. conclus. 12. num. 7. nisi posterior possessio-

E

nem

nem naētus sit, quippe cuius tunc sunt potiores partes. Verum hæc adsertio etiam limitationem admittit, de qua Meu. loc. cit. & Hartmann. Pistor. cit. quæst. 29. num. 28. Scilicet, si in prima concessione ejusmodi formulæ deprehenduntur, ex quibus colligi potest, voluntatem concedentis fuisse, ut dominium utile feudi, cum aperietur, statim & ipso jure ad inuestitum transeat, v. g. quod quamprimum feudum vacabit, illud inuestiti esse, is in eo defendi, vel ipse occupandi licentiam habere debeat. Item, si inuestiens facultatem alium de eodem feudo inuestiendi abdicavit, ita, ut si nihilominus aliquem inuestierit, illa inuestitura nullius momenti nec ipsi præjudicio esse debeat. Porro, si ultimo inuestiti possessio occupata sit eo tempore, quando ipse alterius jus sciuit, & hic nihilominus tamen vel inuestituram, vel possessionem naētus est, ne alicui mala fides, seu fraus sua patrocinetur, l. quoties. 15. C. de rei vind. Addit etiam Meuius hanc exceptionem, licet posterior possessionem adprehenderit, alterius tamen inuestitura non sit gratuita, sed illa ob bene merita facta fuerit.

§. XLI.

Feudum, si a tertio quopiam possidetur, a domino vindicari potest. Quoniam vero in feudalibus aliud utile dominium est, aliud vero directum; hinc quæstio oriatur, si in rei vindicatione dominus directus cum domino utili concurrat, quisnam alteri præferri debeat? uterque enim simul & eodem tempore eandem rem vindicare non potest in solidum. Natura negotii ostendit, quod hoc casu dominus utilis domino directo sit præferendus, quia vasallo possessio & perceptio omnium emolumentorum competit, quam dominus directus ipsi nullo modo inter-

uer-

uertere potest, domino directo autem per hoc, quod dominus utilis vindicat, nullum præjudicium infertur, Stryk. *exam. jur. feud. c. 24. qu. 7.* supposito, quod vasallus jura domini directi interuertere non studeat, hoc enim ad casus exceptos referendum esset. Ex prius dictis DD. inferunt, quod dominus ad rei vindicationem tunc de-
num admittatur, si vasallus vel nolit, vel agere non pos-
fit, v. quos citat Gothofredus Antonius in *iure feudal.*
disp. 13. th. 5. lit. e. Idem de vindicatione fundi emphyteu-
tici dicendum erit.

§. XLII.

In materia *de sponsalibus* sæpe etiam duo circa idem factum, id est, consummationem sponsalium, concurrunt & hic iterum idem velle non est firma amicitia. Hic pri-
mo expeditum est, quod is, qui clandestina sponsalia ce-
lebrauit, illi cedere debeat, qui celebrauit publica, &
quod in altero casu, si virgo cum duobus successiue ita
publice contraxit, ad prioritatem temporis sit respicien-
dum. Sponsalia enim clandestina ipso jure sunt nulla &
sic nullum etiam possunt producere effectum, sed ad pu-
blica solum respicitur. Deinde, qui primus sponsalia
publica cum virgine aliqua celebrauit, jus quæsitum ex-
inde obtinuit, quod ipsi per alia sponsalia ex postfacto
contra leges contracta auferri non potuit. Porro, si unus
virginem sibi de præfenti, alter autem per verba de futu-
ro desponsauit; prior ille præferendus erit, quoniam
sponsalia de futuro obligationem non producunt, v.
c. ult. X. de sponsal. c. 1. X. de sponsa duorum. Si quis cum
duabus per verba de præfenti contraxit: iterum ad
prioritatem temporis respicitur, d. c. 1. *X. de sponsa duo-
rum.*

E 2

§. XLIII.

§. XLIII.

Sed quid si ad sponsalia clandestina, publica posteriora, aut ea, quæ de præsenti sunt, posteriora, *concubitus accesserit?* Sane & clandestina & posteriora publica, & posteriora de præsenti ad classem negotiorum prohibitorum pertinent. Concubitus ille, de quo loquimur, eodem modo contra prohibitionem legis impingit. Quæstio est: utrum ex duobus illegitimis unum legitimum fiat? non credo. De sponsalibus posterioribus de præsenti textus est in c. 3. X. de spons. duor. quod *si inter virum & mulierem legitimus consensus interueniat de præsenti, ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: ego te accipio in meam & ego te accipio in meum: siue sit juramentum interpositum, siue non, non licet mulieri alii nubere. Et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, ecclesiastica districione compelli: quamuis aliter a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum, add. c. 5. X. eod.*

§. XLIV.

Hisce tamen non obstantibus intuitu sponsalium clandestinorum, quibus copula carnalis accessit, contrarium sustinet Carpzouius *Jurispr. eccles. l. 2. def. 69.* existimans, quod hoc casu clandestina publicis sint præferenda. Prouocat ille primo *num. 3.* ad Bezam. Hemmingum, Beustum, aliasque, pro stabilienda sua opinione; verum nos putamus, non eo respiciendum esse, quis dicat, sed qua ratione aliquid dicatur. Optime B. Strykius in *not. ad Brunnem. jus eccles. l. 2. c. 16. §. 8.* *verb. de consuetudine non obtinet,* non satis certa, inquit, hæc consuetudo, memini enim me ex actis obseruasse, pro prioribus sponsalibus pronunciatum, & posterius

ma-

matrimonium dissoluendum esse, responsum fuisse. Quod ipsum ratione manifesta nititur, quippe non est in potestate sponsi, facto suo illico, dum scilicet immemor fideli priori sponsæ datæ contra humana diuinaque jura cum alia fœmina sponsalia contrahit, eademque vel copula, vel benedictione sacerdotali consummat, se a validissimo priorum sponsalium nexu liberare, alias enim pessimus quisque hac cautela priorem sponsam eludere & aliam uxorem sibi querere posset. Pergit Carpzouius *num. 5.* clandestinitatem per copulam carnalem adeo purgari, ut sponsalia publice & cum consensu parentum contracta habeantur, adeoque firma sint & obligatoria; verum hæc eadem facilitate negantur, qua a Carpzouio adseruntur. Addit *n. 9.* contrahentes tamen per concubitum unam carnem fieri; ita quidem est, sed modo illico, perinde ut ille, qui meretrici adhæret, una caro cum ipsa fit. Ex facto illico autem nemo jus consequitur. Trouocat *num. 10.* ad æquitatem, ut consulatur vitiæ, quorsum & Lutherum inclinare dicit; verum nos existimamus, dampnum non esse, quod quis sua culpa sentit, & hinc vitiatam sibi imputare debere, quod contra legis prohibitionem cum alterius sponso concubuerit. Maxima sane iniquitas foret, si propter illicitum factum sponsæ, quæ publica sponsalia secundum legum præscriptum celebrauit, jus quæsitum auferretur. Tandem quoque *c. 30. X. de sponsal.* in medium profert, verb. *is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo carnali copula subsecuta, et si in facie ecclesiæ ducat aliam & agnoscat, ad primam redire tenetur.* Verum respondetur primo, illum textum de eo casu loqui, ubi quis sponsalia de futuro (quæ non sunt prohibita, uti clandestina,) contraxerat & cum sponsa de futuro concubuerat, deinde autem de-

E 3

mum

mum cum alia matrimonium celebrauerat. Hic sponsus eo ipso, dum cum sponsa concubuerat, consensum de praesenti declarauerat, & hinc casus ille a praesenti nostro plane diuersus est, ubi agitur de sponsalibus clandestinis, quae per concubitum neutiquam publica fieri possunt. Posito autem, quod adhuc alias textus proferri queat, qui sententiam Carpzouii clare confirmaret; responderemus tamen, jus cononicum apud evangelicos non esse receptum, sicubi illud a fana ratione & jure diuino prorsus recedit.

§. XLV.

Sequitur casus, quando duo sponsi concurrunt, quorum primus sponsalia conditionata, alter autem cum eadem virginie conditione adhuc pendente sponsalia pura celebrauit. Quisnam nunc praferendus, si uterque consummationem matrimonii urget? Audiamus Carpzouium in utramque partem. In jurispr. eccles. l. 2. def. 70. sponsalia pure contracta, licet posteriora, praefert sponsalibus conditionatis anterioribus. Nec est, inquit num. 14. quod nobis opponatur, conditione existente obligationem retrotrahi ad tempus contractus, l. 11. §. videamus. ff. qui pot. in pign. et si enim alias hoc verissimum est, minime tamen id prajudicare potest sponsalibus interim pure contractis, cum hic obex incurrat, qui priorem obligationem tollit, ut ad id, quod sublatum sit, conditio retrotrahi nequeat. Frigida sane responsio, cum obex ille incurrens, ut Carpzouius eum appellat, nullius plane momenti sit. Audiamus nunc quoque Carpzouium rectius philosophantem. Ita vero ille in eadem jurisprud. eccles. l. 2. def. 21. an ergo, inquit, a sponsalibus sub conditione contractis pendente conditione resilire & cum alia persona pure

&

& de præsenti sponsalia inire fas erit? ita quidem, respondet Carpzouius, putant Alber. Gentil. l. 2. *de nupt. c. 12. p. 172.* Mauser. *de nupt p. 323.* quia non existente obligatione libera videtur relicta facultas conjugium inire, cum qua persona quisque velit. Sed impia, addit, & periculosa est hæc adsertio. Dicendum potius, a contrahentibus expectari debere conditionis euentum, priusquam ad alia conuolent sponsalia, cum paulo Cypræo *de sponsal.* c. 8. §. 4. Panormitan. *in c. super eo. X. de condit. ad pos. Joh. Gerhard. in loc. de conjug. §. 149. p. 221.* Tarnou. *lib. de matrim. c. 79.* idemque sensit B. Lutherus *de caus. matrim. tom. 5.* Quis hæc cum prioribus connectet? interim hæc posterior opinio Carpzouii priori merito præferenda erit, daretur enim, dicente Carpzouio *d. def. 21. num. 9.* occasio pro deridiculo ac delectamento habendi matrimonium, si cuius liceret proprio ausu & arbitrio a sponsalibus conditionatis recedere: ut sic vel saltem honestatis causa resiliendi facultas præscidi debeat contrahentibus, quia in matrimoniis non saltem, quod licet, sed & quod honestum est, spectari solet.

§. XLVI.

Erunt ergo conditionata priora posterioribus puris præferenda, licet ad conditionata concubitus accesserit, per ea, qui in §. XLIV. & XLV. jam tradidimus. Addendus adhuc est altius casus, si ad clandestina, publica posteriora, vel pura posteriora *benedictio sacerdotalis accesserit.* Habeamus hic iterum Carpzouium diuersa ad serrentem. In *Jurispr. eccles. l. 2. def. 66.* statuit quod prioribus sponsalibus referantur, posteriora, si hæc per nuptias & benedictionem sacerdotalem consummata fuerint. Misera est ratio qua nititur, quam paucis exprimit

mit num. 14. quod nempe coniugium pro perfecto non habeatur, priusquam sit ab ecclesia solemniter adprobatum, confirmatum & benedictum. Quasi vero ecclesia sponsalia contra leges contracta solemniter adprobare, confirmare iisque benedicere velit ac possit? In *praxicrimin.* qu. 67. n. 58. rectius philosophatur Carpzouius noster, a qua sententia in iurisprudentia male recessit, ut sic eius intuitu cogitationes posteriores non fuerint meliores. Ita vero ibi: ex quo sequitur, sponsa prima sponsum recipere volente (hoc enim semper supponitur) matrimonium cum sponsa posteriorē consummatum dirimendum, & sponsum relicta uxore ad primam redire cogendum esse, quam adsertionem textibus & multorum DD. autoritatibus confirmat. Audiamus B. Strykium *in not. ad Brunnem. jus eccles. l. 2. c. 16. §. 8. verb. de consuetudine tamen.* Nec obstat, inquit ille, quod benedictio sacerdotalis adhibita; hoc enim de facto factum & hinc juris effectum habere nequit, accessit enim illa benedictio ex errore ad desponsationem penitus illicitam, unde priori sponsa dissolutionem urgente, si persuasionibus adduci nequeat, ut a iure suo recedat, pro ipsa pronunciandum erit. Qui farraginem autorum desiderat & autoritatibus nitiur, nihil adeat Berlichium p. 4. *concl. 28. n. 67.*

§. XLVII.

Ex materia de sponsalibus etiam hic casus notandus est. *Concurrunt duo, qui cum eadem virgine matrimonium inire volunt.* Virgo duobus illis successiue fidem dedit & ergo præferendus esset ille, cui primo sese desponsauit. Metuit vero hic, ne forsan alter, cui subsecente tempore, quamvis de facto, matrimonium promisit, ad carnalem copulam eandem inducat, quid ergo in tali concurre-

cursu faciendum? Sequestrationi locum esse dicunt DD ut omnia in pristino statu permaneant lite pendente, illustr. Coccejus *dissert. de sequestr. fæmin. c. 2.* §. 7. Stryk. *us. mod. ff. tit. depos. vel contr. §. 16.* & hinc Gaiilius *l. l. obs. 112.* *num. 16.* ita quondam pronunciatum fuisse refert: In Sachen --- ist erkandt, daß gemeldte Sabina bey einer ehrlichen, nahmhaften und ansehnlichen Frauen (de ren sich beyde Theil in Zeit vier Wochen den nächsten vergleichen sollen, sequestrir et seyn, und bey derselben bis zu Ausführung fürgenommener Rechtfertigung ehrlich erzogen, auch ohne allen Argwohn und gefährlichen Zugang vertraut und enthalten werden soll, und da sich die Parthenen der Frauen halben in gemeldter Zeit nicht können vergleichen, daß alsdann der Bischoff --- die gedachte Sabina obberührter maßen zu einer ehrlichen nahmhaften Frauen also, wie gemeldt, vertraulich zu enthalten versehen und verordnen, derhalben auch Mandat und Sequester erkandt seyn sollen. Eadem ratio est, si adsunt indicia, filiam metu induci ad sponsalia cum Titio celebranda, Meuius concurrens vero certo persuasus est, fore, ut virgo ipsi potius fidem conjugalem det, modo in libertate constituta esset, Stryk. *loc. cit.* Similis casus est in materia *de exhibendis liberis*, quando scilicet pater & mater in exhibitionis petitione concurrunt & mater propter nequitiam patris, quam allegat, huic præferri vult. Ulpianus in *l. 3. §. 6. ff. de lib. exhibend. in hoc interdicto*, inquit, *donec res judicetur fæminam, prætextatum, eumque, qui proxime prætextati ætatem accedat, interim apud matrem familias deponi Prætor jubet.*

§. XLIX.

Si plures legatarii concurrunt, quibus optio est legata, aut unius legatarii plures heredes, hi vero in optando dissentunt,

F

tiunt,

42 DE DUOBUS CIRCA IDEM FACTUM CONCURRENTIBUS.

tiunt, quæstio etiam oritur, qua ratione dissensus optantium tolli debeat? decisum hoc est in §. 23. I. de legat. & diligentiore retrætu habito & hoc in nostra constitutione additum est, siue plures legatarii extiterint, quibus optio relicta est & dissentiant in corpore eligendo; siue unius legatarii plures heredes sint & inter se circa optandum dissentiant, alio aliud corpus eligere cupiente: ne pereat legatum, (quod plerique prudenter contra benevolentiam introducebant,) fortunam esse hujus optionis judicem, & sorte hoc esse dirimendum, ut ad quem fors peruerterit, illius sententia in opinione præcellat. Constitutio, cuius mentionem hic injicit imperator, extat in l. ult. C. Commun. de legat. ex qua generalem regulam format B. Brunnemannus in comm. ad d. l. controversias inter eos, qui rem communem possident, sortis judicio submitti debere, quod fortunæ judicium dicitur, ejus tamen director Deus est.

§. XLIX.

Propero nunc ad fidem. Plura fateor, adhuc colligi potuissent, v. g. de pluribus heredibus & legatariis circa eandem hereditatem & legatum habendum concurrentibus in materia juris ad crescendi, similibusque; verum specimen aliquod saltem eruditorum examini submittere volui, cui hæc, quæ adduxi, meo judicio sufficere poterunt. Latior adhuc differendi campus sese mihi aperuisset, si ad eos excurrere voluisssem, qui, circa idem officium habendum concurrunt; verum hæc & similia lubens omitto. Nihil ergo restat, quam ut Deo ter optimo terque maximo humillima mente gratias publice perfoluam, quod hactenus in cursu studiorum meorum gratia sua semper concurrere mihique adesse voluerit. Gratiæ ipsius diuinæque clementiæ me in futurum unice etiam relinquo, hoc unicum expertens, velic summum æternumque numen omnia, quæ suscepti & adhuc suscepturus sum, eo dirigere, ut vergant in ipsius gloriam, ecclesiæ & reipublicæ emolumen.

T A N T U M.

DOCTISSIMO
DN. RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Cicero ab initio primi de officiis libri ad Marcum, filium, scribit, quod postquam annum Cratippum jam audierit, idque Athenis, eum abundare oporteat præceptis institutisque philosophiæ, propter summam & doctoris autoritatem & urbis. Ego Ciceroni me non comparo, ejusmodi enim fastus a me longissime abest: interim tamen ad Te, doctissime Respondens, ad cognatum meum & quem instar filii diligio, nihilominus scribo. Oportet Te multos annos jam audientem celeberrimos Antecessores & Professores, idque Halæ, abundare præceptis institutisque non simulatæ, sed veræ philosophiæ, quæ adferente Vlpiano ipsa jurisprudentia est, propter summam & doctorum nostrorum autoritatem, & urbis. Oportet, te abundare. Abundas etiam. Testis ego sum, & auditores etiam, quibus præsentibus responsurus es, testimonium Tibi perhibebunt omni exceptione majus. Bina vice ciuis academiæ nostræ fuisti, sed idem semper, diligens, modestus, & a per-

peruersorum hominum confortio alienus. Do-
ctrinis saluberrimis doctorum nostrorum imbui-
tus es, meus etiam, qui infimus in doctorum nu-
mero sum, in scolis meis individuus & perpe-
tuus fuisti comes. Didicisti tamdiu, quoad te,
quantum profeceris, non pœnititbit: æquum ab
iniquo separare, licitum ab illicito discernere e-
doctus es. Cicero filio suo, Marco, suadet, ut
patris exemplo semper cum græcis latina conjun-
gat: ego Tibi suadeo, ut cum theoria praxin
conjungas, idque patris Tui exemplo, qui me et-
iam, dum inter viuos erat, patris instar dilexit,
ut par sis & in theoriæ & praxeos facultate. Ad-
pellaberis ita merito artis boni & æqui sacer-
dos. Gratulor Tibi, doctissime Respondens,
de egregiis in studio jurisprudentiæ profectibus:
adsit diuinum numen omnibus conatibus Tuis,
ut ad ipsius gloriam & proximi salutem dirigan-
tur. Ego fausta quælibet Tibi adprecor. Va-
le. Dabam Halæ Magdeburgicæ d. XVII.
Octobr. MDCCXIV.

